



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Abbati Et Conventvi sancti Vedasti Atrebatensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

minare nequimus secundum apostolica sedis morem. Vnde nec ipsam valuimus confirmare, cum & nobilis vir Gualterus de Monte-Beliardo, qui dicitur parochianus ipsius, de persona eiusdem electi per litteras suas quadam nobis suggererit quæ idem electus asseruit esse malitiosè conficta propter odium quo idem nobilis Regem persequitur memoratum. Verum quia onerosum esset & grave, propter maris & viarum pericula, ob hoc iteratò ad sedem apostolicam laborare, palleum, insigne pontificalis officij, ad te, tradendum eidem, duximus destinandum; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandantes quatinus si post denuntiationem super hoc à te factam infra mensem apparuerit persona quæ legitimè velit & possit aliquod impedimentum canonicum obicere contra ipsum, tu causam audias, & eam appellatione remota canonico sine decidas; & si vel impetitus non fuerit, vel extiterit absolutus, tu ipsum precipias consecrari, ac deinde conferas ei palleum sub forma quam tibi transmittimus nostris litteris interclusam. Datum Laterani 11. Kal. Ianuarij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

ABBATI ET CONVENTUI  
sancti Vedasti Arebatensis.

**C**VM à nobis petitur quod iustum est & honestum &c. usque effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris iustis precibus &c. usque assensu, compositionem quæ inter bonæ memoriæ Martinum Abbatem vestrum ex parte una & I. quondam & ejus heredes Bethunienses Advocatos ex altera super quibusdam transactionibus talliarum, rogationum, violentarum exactionum, & aliarum rerum, in præsentia bonæ memoriæ Samsonis Remensis Archiepiscopi de assensu partium amicabiliter intervenit, sicut sine pravitate providè facta est & ab utraque parte sponte recepta, necnon & in ipsius Archiepiscopi super hoc confecto authentico declaratur, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. usque incursum. Datum Laterani 1x. Kal. Ianuarij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

PRÆPOSITO ECCLESIAE  
sancti Evasij de Casali, ejusque fratribus  
tam presentibus quam futuris regularem  
vitam professis in perpetuum.

**P**LAE postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri; quatinus & devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & utilitas postulata vires indubitanter assumat. Eapropter, dilecti in Domino filij, petitionibus vestris benignitate debita gratum impertientes assensum, præfatam Ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & ad exemplar prædecessorum nostrorum bonæ memoriæ Calixti, Paschalis, Innocentij, Lucij, & Urbani Romanorum Pontificum præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuantes ut ordo canonicus, qui secundum Deum & beati Augustini regulam in eadem Ecclesia institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quasunque possessiones, quasunque bona eadem Ecclesia vestra in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, &c. usque illibata permaneant. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. In eodem loco Casalis, Ecclesiam sanctæ Mariæ, & Ecclesiam sancti Stephani, cum hospitali ibidem ædificato & omnibus suis pertinentiis. Omnes Ecclesias sitas in curia Casalis, cum omnibus suis pertinentiis. Ecclesiam sancti Hilarij, & domum laboris ecclesiastici. In Paciliano, Ecclesiam sancti Germani, Ecclesiam sancti Michaelis de Casteneto. In loco sancti Georgij, Ecclesiam sancti Martini, sanctæ Mariæ, sancti Hilarij, sancti Vitalis, & sancti Petri. In Cinaglo, Ecclesiam sanctorum Cosmæ & Damiani, cum quatuor mansis & omni decima totius loci. In Rodolasco, Ecclesiam sancti Michaelis, cum pertinentiis suis. In Torcello, Ecclesiam sancti Clementis & sancti Nicolai. In loco Casalis, tres mansos terræ quos propriis bubus excolitis, sex jugera vinearum ad proprios labores, mansum Brisce, mansum Gramine, mansum Officiani, mansum Ambrosij Tifinasci, mansum filiorum Gisi, mansum Hilarij, mansum Adæ Duamani, mansum Spatecaldarij, mansum Henrici Fine, mansum Setacharij, mansum Cavatorte, mansum Oberti Prisliliani, mansum Quirici Balde, mansum Radulphi Keke, cum pertinentiis & tertia parte decimarum totius loci

Epist. 136.  
De confirmatione privilegiorum.

